



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv  
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

12. Primæ à Xauer. conuersiones Iaponiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

mones furiosè tumultarentur, & ad profligandam illam omnia mouerent, quod vt sapienter ab eo dictum, sic nimium verè, dæmoni operam implemet commodauit, illam insectanti, ad eò abfuit à cauendo, quod prædixerat Xauerio cauendum. Post dies aliquot, potestatem Xauerio prædicandi amplam, sed suis ex lucris, & compendiis conceptam, per ministrum misit; simulque tota Cangoxima edixit, licere cuilibet esse Christianum, haud quidem admodum salutem suorum æternam curans, (nec enim tam longè aut mentis, aut fidei oculos miserat) sed obsecundans auaritiæ qua flagrabat, & Xaueriū apud Lusitanos tanti esse aduertens, putauit illo humanitate varia demerendo, partam sibi fore Lusitanorum gratiam, & amicitiam; Lusitanas naues frequentaturas suos portus propter Xauerium, & importaturas Sinensia serica, argento Iaponico permutanda: ad hoc item secum retinere Xauerium studuit, monens tunc Meacum vt constituerat, non posse adiri, ardere bello omnes circum vtbes; hæreret Cangoximæ & profeminaret liberè Christi legem; redituram Meaco suam pacem; quod vbi factum esset, se verò illuc, & nauim daturum, & mandaturum vt deucheretur. Tam procliu regis erga se animo, ad prædicandam fidem Xauerius in publicum profilit, circumdatur illicò multitudine auditorum, quos innata Iaponibus de nouis rebus cognoscendi præsertim futuris post hanc vitam, curiositas coegebat. Tam multis verò, mirisque attonitos, quæ Xauerius asserabat, vt erat de mortuis in vitam excitandis, de vniuersali iudicio, felicitate, pænisque sempiternis, incredibile desiderium incendit pertractandi diligentius singula, causasque seorsùm & articulacim oriosius opponendi variarum dubitationum, quibus acuta feruebant ingenia, ergo Academici tanquam cætus, domi apud Xauerium colligi, conuenire homines dignitatis cuiusuis & ordinis, religionis capita sciundim, separatis disputationibus committi ( illic enim lite continua sectæ dissimiles se mutuo fatigant, nihilque ratum habetur, nisi quod argumenta extorserint. Vnum ex se vno existens aptumque principium, potentia infinitum, vniuersorum primam, & communem causam Iapones nunquam audierant, vt quibus in confesso esset, mundum principio caruisse, multò minus sciebant cuncta prouidentia nutu regi, quæ hunc naturæ ordinem quem videmus, ex sublimiori sine digere, & gubernat. De secretioribus arcanis naturæ diuinæ, de verbo corporato, de Christi morte, & eiusmodi aliis, Iaponiæ tot retro sæculis nihil suboluerat; quare vt Paulus eadem Athenis, prædicans, stultis earum philosophis visus est, nouorum demoniorum annuntiator esse, ita Cangoximans Xauerius. Verum enim vero, cum inter disputandum singula cernerent, rationibus humanis, & diuinis præclare congruere, vt erant Veri incredibiliter amantes (quo elogio sanctus crebrò Iaponios afficit) gestiebant scilicet eius luce, & capitibus sigillatim probatis manus, & fidem præbebant.

12

Primæ à Xa-

12. Primus fuit baptismi candidatus homo tenuis fortunæ; sed inde locuples



locuples quod in Ecclesia Iaponensi prerogatiuam natalium occupauit, uer. conuer-  
 Bernardo huic nomen inditum, & egregia deinceps fama ex raris siones Iapo-  
 virtutibus accessit: secuti sunt alij clariores, duo nominatim ex gente niorum.  
 Bonziorum, insigni tum facto, tum exemplo. Nam etsi hoc genus ad  
 Christum inflecti pro miraculo sit, verum in his duobus exarsit amor  
 tantus alios etiam ad Christum trahendi, ut Goam optarent nauigare, ex  
 qua in Iaponiam reduces, testimonio oculato suis confirmarent, quæ  
 illis Xauerius de professionis Christianæ magnificentia, splendore, ac  
 multitudine innumerabili prædicabat. Quantis lætitiis tam fausta, & in  
 spes maiores præmissa incitia, Apostoli animum cumularint, nemo facile  
 allequatur. Ipse impar agendis ob ea gratis bonitati diuinæ, ad hoc  
 sociorum suppetias expetit, unde illum item perferrebat sine sensu, tot  
 laborum & ærumnarum sensum, tamen cum dura iunctum inedia, ut  
 qui carne, pisce, vino penitus abstineret, solis olusculis, & legumini-  
 bus mica salis conditis, semel quotidie aleretur, ne abstinentia ciborum  
 vera, minus apud populum valeret, quam Bonzij ficta. Si quid solido  
 ex die, si quid de nocte post diurnas preces, & trium horarum  
 breuem somnum restabat temporis, totum conferebat in explicatione  
 Symboli ab se composita, Iaponicè reddenda, quam in typos quoque  
 Iaponicos misit, ut quod nondum licebat voce, illuc iam stylo salutem  
 promulgaret.

13. Ad hæc alteras dedit in Indiam ad nostros literas delecturus ex  
 iis tres strenuas operas ad nouæ illius Ecclesiæ excolendam stabilien-  
 damque pietatem, proin omnes ad iter in procinctu starent. Digna  
 planè relatu epistola integra, tamen multis paginis diffusa, ut quæ  
 arcanæ sanctitatis documento multiplici affluat, & absolutum Apo-  
 stolicæ virtutis magisterium complectatur, hoc est non minus propriæ  
 sanctitatis, quam vtilitatis alienæ. Iubet ab iis virtutibus cauere quæ  
 specie fallunt inexpertos, reipsa præter fucum nihil habent; his niti  
 velle ad ardua, & soliditatem poscentia, periculosum esse, ruinæque  
 proximum, præcocibus itaque iuuandarum animarum desiderijs ne  
 nimium credant, nec illas ferant impatientius operandi moras, vel  
 otiosas putent, quas domandis seipsis interim occupant. Nec se pro-  
 pterea satis munitos arbitrentur, ut in medios infidelium caneos se im-  
 mittant, quod dulci flamma superni ardoris interdum vaporentur, cui  
 tempestates, & maria, & hostium gladij, pericula, vincula perpeffiones,  
 mortes, pro ludo sunt; nempe longinqua, nempe imaginaria: imagi-  
 nariæ siquidem militiæ fortiter glorioseque obeundæ, virtutem suffice-  
 re imaginariam: sed cum ad rem venit, tunc demum intelligi aliud  
 esse ciere discriminum, & belli simulachra; aliud bellum præfens,  
 ipsaque discrimina subire. Cogitent etiam atque etiam vbi procul aut  
 soli, aut duo, ignoto in orbe constiterint; ignari linguæ, medios in-  
 ter barbaros, & ipsi pro barbaris, ac deterius quam soli, exosi, vexa-  
 tique ob religionem quam inferunt iis aduersantem, absque diuersorio

13

Institutio  
 ad ministr.  
 Apostolicæ,  
 Xauer.

X 3

ad